

Pl. 18. 6. Didymus. Hefichi.

David præcinit Pl. 18. 6. In sole posuit tabernaculum suum. Ubi Didymus: Tabernaculum Dei Ecclesiam dices, qua in Sole posita est, quatenus lucet in ea Sol iustitia. Hefichius in Catena Danielis Barbari: Per solem dominicam carnem intellexit, propterea quod purissima erat. Sic in illustrem, & gloriosam quandam reipublicæ formam disposuit suam Ecclesiam: quæ Apoc. 12. sole vestitur, stellis coronatur, lunâ calcatur.

SECTIO XVI.

D. Petrus Evangelica Ecclesiæ (post Christum) caput, ac princeps, novus exitus Abrahamus, Abrahamica gloriæ instaurator, & promotor; à quo Gens Christiana populus est honorificatus, illustris, gloriosus.

1440

Statuimus supra, celsissimam Hebraicæ Nationis nobilitatem prælustremque veteris Synagogæ gloriæ ab Abrahamo primo illius Parente, primario lapide, & capite ortum habuisse; quam posteri ad Christum usque & conservarunt, & illustrarunt. Reliquum nunc est, ut totam illam generis claritudinem, magnamque gloriæ sublimitatem in Petro uno, primaria Catholice Ecclesiæ petra, sublimissimo capite, ac Principe nobilissimo, iterum à veluti exordio repetitam, majori rerum gloriâ cumulatam, ingentique accessione amplificatam, demonstremus; ut constet, quantum Christianus Populus, Gens scilicet electum, Regale sacerdotium, Gens sancta, populus Christi sanguine acquisitus Hebræicum populum antecellat, ut jure potiori honorificatus, illustris, & gloriosus sit, & appelletur; vel ea etiam de causa, quod Petrus caput illius sit nobilissimum, novus Abrahamus veteri sublimior, atque excellentior.

Abrahamus umbra Petri. S. Hieron.

1441 Atque in primis magnum Doctorem Hieronymum juvat audire, cujus hæc extat præclara sententia in Epist. ad Thersiam. Augustum caput Petrus extulit novi signifer testamenti, & in creatione ejus primitivus. Alius, quod sine dubitatione loquor, Abraham; nescio an major; certe, quod sentio, non secundus. Extra dubitationem, & controversiam statuit causam Hieronymus, Petrum alterum esse Abrahamum, id est, veterem illum, umbram novi extitisse. Cæterum quod in medio reliquit; uter major extiterit, totam statim excutit dubitationem, Petro prælato, ut mox videbimus. Interim illa ejusdem Hieronymi attexere adlubescit, quibus thesim nostram illustrat. In fide veteris exempli nepotum virtus tam mira, quam sera per discipulum primogenitum novæ justificationis aspirat. Obsolescentibus jam pene imaginibus veritatis, Abraham reformatur in Petro. Expendat, quæso, lector gravissima verba; Abraham reformatur in Petro. Quæ mihi certè adumbratæ in Abrahamo figuræ instauratorem, & perfectionem expressam in Petro significant. Quod voluit Paulus ad Ephes. 1. 10. dum omnia in Christo (id est, in Christiana Ecclesiâ) instaurata fuisse dixit; id est, ab initio repetita, ut legit Tertullianus 5. contra Marcio. cap. 17. seu reparata, & resarciata, ut Augustinus in enchir. cap. 62. Anselmus, & Thomas in Paulum. Quasi Christus omnes veteres umbras veteris testamenti, novi testamenti expressis imaginibus iterum repetendo, ac recensendo, reparaverit, instauraverit, & resarcierit. Similiter Hieronymus hac voce, Abra-

Ephes. 1. 10.

Abraham reformatus, instauratus in Petro, atque in perfectum adductus. S. Hieron.

ham reformatur in Petro, illud ipsum voluit se intelligitur; nimirum Hebraicæ Gentis caput, ac Principem Abrahamum umbratè fuisse Petri quandam imaginem. Porrò in Petro Christianâ gloriâ illustrato eandem illam Abrahamicam veterem figuram repetitam fuisse, instauratam, atque in perfectum adductam; ita ut in veteri Abrahamo novus alius, sed illustrior redderetur Abrahamus, id est, umbratilis formæ delineato vestigio expressior alia, atque pretiosior induceretur imago, tota serica, tota aurea, tota gemmea, tanto veteri perfectior, tantoque vividior, quanto spiritualia præstant corporeis, Christiana præcellunt Hebraicis.

1442 Lege, præter Hieronymum allatum, Epiphanius lib. 1. contra Hæres. c. 1. Tertull. 4. contra Marcio. c. 13. Chrysof. Hom. 18. in Joannem, Bernardum in Declamat. ad illa verba, Ecce nos reliquimus omnia, Bellarminum lib. 1. de Rom. Pontifice c. 12. obi. 4. Turrianum l. 2. contra Magdeburg. c. 6. & 14. Gregorium Valentia in Analyfi fidei Catholice lib. 7. c. 2. n. 4. Maldonatum in Matt. 16. 18. Alabastrum in Apparatu ad Apocal. c. 2. Qui omnes Abrahamæ Petrum componunt, & veluti imaginem umbræ collatam præferunt.

Et quamvis tantorum virorum auctoritas sufficiat, ut docto cuique Catholico hæc tanta Petri, & Abrahamæ collatio persuadeatur, habemus tamen (ni me fallo) firmiorem propheticum sermonem, cui bene facimus attendentes. Isaias enim sic præfatur cap. 41. 1. Isai. 41. 1. 1. Taceant ad me Insule, & gentes mutant fortitudinem, &c. Communem omnibus gentibus causam acturus Dominus, omnes nationes convocat, atque iudicio stare jubet. Subtextit: Quis suscitavit ab Oriente iustum, vocavit eum, ut sequeretur se? Dabit in conspectu ejus Gentes, & Reges obtinebit: dabit quasi pulverem gladio ejus, sicut stipulam vento raptam arcui ejus. Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus ejus non apparebit. Quis hæc operatus est, & fecit vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus & novissimus ego sum. Viderunt Insule, & timuerunt; extrema terra obstupuerunt, & appropinquarent, & accesserunt. Tantum Isaias. Quod vaticinium non nisi Evangelico lumine videri potest: eo autem adhibito, evidentissimum mihi est de Petro, novo scilicet Abrahamo, sermonem esse. Hunc certè veluti alterum Abrahamum (qui ab Oriente ad Palæstinam evocatus est) ab Oriente ad occiduas, reliquasque orbis partes eduxit Dominus. Ei, veluti Abrahamo, gentes subjiciendas prædicat; ejusque gladio, & arcui, id est, auctoritati Evangelicæ prædicationis, sive cominus subjugandas. Ut autem in Petro Abrahamum repeti memineras, ait, se esse qui vocat generationes ab exordio, seque esse primum, & novissimum, id est, sicut priorum, ita & posteriorum, auctorem, tam in Abrahamo, quam in Petro. Confirmatur ex versu penultimo ejusdem capituli: Primus ad Sion dicit: Ecce adsum; & Jerusalem Evangelistam dabo. LXX. vertunt: Principium, seu principatum Sion dabo, & Jerusalem vocabo in viam. Ex Hebræo sic legas: Caput Sion ecce ecce, & Jerusalem Evangelistam dabo: id est, qui læta evangelizent. Etenim Petrus & principatum tenet, caput Ecclesiæ est, & Evangelista.

Vaticinium de Petro, novo scilicet Abrahamo.

1443 Quò revoco illa Joannis Baptistæ verba apud Matt. 3. 9. Etne velitis dicere contra vos: Patrem

Patrem

Matt. 3. 9. Patrem habemus Abraham: dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamæ. Et fidei, & obedientiæ sinceritate filios Abrahamæ censendos asserit: innuitque aliud diversum Abrahamæ genus, in degeneris locum subrogandum. Quòd autem ex lapidibus susciandos ait, ad ludum ad modum suscitandi supra naturæ vires, quemadmodum olim ex sterili Sara, utriusque arida petra. Ex Petro enim (post Christum) primario Ecclesiæ lapide præcisi sunt, qui tanquam vivi lapides in Evangelica fabrica construuntur. Unde illud Isaiæ 51. 1. Attendite ad Petram, unde excisi estis: attendite ad Abraham Patrem vestrum. Ad Petrum nempe, novum Abrahamum, novi fidelium populi caput, & Principem nobilissimum veteri Abrahamo nobiliorum. Est enim hæc explicatio desumpta ex Epistola 1. decretali S. Victoris Papæ Martyris, ubi ad probandam supremam Petri, & successorum jurisdictionem, & auctoritatem, affert locum Isaiæ prædictum. Epistolam defen-

dit à calumniis Magdeburg. noster Turrianus lib. 3. pro Epistola Pontif. c. 10: 1444 Ut verò luculentius constet, veterem illum Abrahamum in Petro fuisse reformatum, instauratum, resarciatum: & à Petro antiquam Abrahamæ nobilitatem multis partibus Religionis, sapientiæ, animi magnitudinis, honoris, & gloriæ longè superatam; parallelam Abrahamæ, & Petri collationem subscribam Lectori haud ingratam, qua tum sibi invicem, tum utrique Ecclesiæ, Synagogicæ, & Evangelicæ componuntur. Cumque historia sit fundamentum spiritualis allegoriæ (ut hæres communiter docent) hinc Abrahamæ Historiam, inde Petri Allegoriam; hinc ædificii vestigium, inde ædificii fabricam proponemus. Ex qua vestigii & fabricæ metaphora, illud etiam dictum esto, sicut fabrica & opere, & materia longè superat vestigium; ita in hac Abrahamæ, & Petri collatione Abrahamum instar vestigii habiturum, Petrum instar operosissimæ, & sumptuosissimæ fabricæ proponendum.

Isai. 51. 1.

SECTIO XVII.

Abrahami, & Petri Synagogæ, & Ecclesiæ Paralleli.

1. Abrahami electio.

1. Petri vocatio.

1445 Veni in terram, quam monstravero tibi. Gen. 12. 1. A terra Chaldæorum in terram utique Chanaanæorum iturus vocatur. Abrahamum Deus deligit (inquit Epiphanius 1. contra Hæres. c. 1.) in vita Evangelica habentem conversationem. Et vocatus est per Verbum, & domesticis renuntiavit, & vocanti obedivit, sicut & Petrus.

Gen. 12. 1.

S. Epiphanius.

2. Abraham aliqua reliquit.

2. Petrus omnia contempsit.

1446 Hic reliquit terram suam, & cognationem, & domum Patris sui. Gen. 12. 1. Tulit tamen secum uxorem suam, universasque opes, atque familiam, ut scilicet in aliam ostendendam pergeret terram, quam illi Dominus pollicebatur; nam præmium prius est promissum Genes. 12. 5. Nec tantâ præmiorum anticipatione contentus, rursus temporaria exposcit Genes. 15. 2. Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis, &c.

Gen. 12. 1.

Gen. 15. 2.

3. Abraham primus Patriarcha Hebræorum ob fidem in Christum.

3. Petrus primus Monarcha Christianorum ob fidem in eundem Dominum.

1447 Sicut loquitur Nazianzenus Orat. 44. Abrahamus primus Patriarcha multarum Gentium, ob fidei meritum constitutus est. Vide ibi Nicetam. Seorsim Hilarius lib. 5. de Trinitate, Per eam, inquit, fidem constitutus est Abraham Pater Gentium, per quam Deum, cui credidit, adoravit. Gen. 17. 14. & c. 18. 2. Porrò Deum, quæ adoravit, fuisse Verbū Divinum probat Hilarius ibi, & decretum P. Ildeph. de Flores in Eccles.

S. Nazianz.

S. Hilarius.

Sicut claret ex Matt. 16. 18. Unde S. Basil. lib. 2. contra Eunomium: Petrus propter fidei excellentiam, Ecclesiæ ædificationem in seipsum suscepit. Et S. Ambros. Serm. 47. Petra dicitur, eo quòd primus in actionibus fidei fundamenta posuerit. S. Chrysof. in Hom. de Petro & Paulo, Petrum principium fidei orthodoxe vocat. Et à S. Hieronymo supra memorato, novi signifer testamenti, & in creatione

Hic verò omnia reliquit Matt. 19. 27. Super quæ verba Bernardus in Declaratione: Antiquorum sanè Patrum diebus, donec in terris videretur inter homines Dominus majestatis, non erat Evangelicæ forma perfectionis. Itaque præfert Petri factum, omnia omnino relinquens perfecta quadam animi renuntiavit: & hoc, ne interrogans quidem tunc de præmio, donec ex periculo divitum, quod Salvator prosequeretur, sumeret occasionem percontandi: Quid ergo erit nobis? Per occasionem tantum Petrus de præmio percontatus, & longè postquam omnia contempsisse gloriabatur; & quidem, ut ex contextu colligo, non tam caducæ utilitatis affectu, quam cælestium amore: erat enim sermo de æternis Matt. 19. à v. 24. O quanto hac in re inferior Abrahamus!

S. Bernardus.

S. Ambros.

S. Chrysof.

S. Hieron.